fere, id[est] explorare, exponereque latam. Quod si ratio communis docet ipsa omnium judicum in rebus omnibus judicare secundum leges, Instructionum Titulo de Officio Judicis in principio, porro secundum pœnales leges, ut decernant criminum judices, oportet illos illarum forte ambiguarum sensum justa interpretatione consequi. Quæ autem mala scriptor ille timet ex judicantium arbitriis, erroribusque, sunt ea magis vitia hominum, rerumque humanarum, quam vitia judicum; magisque pertinent ad efficiendum, ut probi, peritique judices eligi debeant, Plato de Legibus Libro 9°, quam ut etiam minora ista debeant dirimi judicio principis, quem satis occupant, obruuntque majora, eademque solius supremæ potestatis propria. Quamobrem cum omnia solus facere nequeat, necesse est eum subditorum hominum operam, et ministerium sibi in publica administratione partem, et levamen adjungere.

§ 8.us Delicta varia

§ 8.us

Delicta varia ex legum, regiminumque varietate.

Lex est aut divina, aut humana. [illegible]

Divinarum legum complexio ex præceptis tum naturalibus, tum, ut vocant, positivis constat. Naturalia præcepta artifex naturæ Deus indit menti hominis uniuscujusque, eaque ministerio rationis, tamquam oculis mentis, aspicit, æstimatque homo. Præcepta positiva proveniunt ab eodem Deo, sed per externam promulgationem.

Sunt et hominibus leges humanæ, eæque [illegible] ad politiam sacram, profanamve pertinent. Illas appellamus canones, legesve ecclesiasticas. Iis canonibus, sive regulis satagit Ecclesia mater dirigere actiones fidelium feliciter morum ad æternam futuræ vitæ beatitatem: quod unum est illius propositum, quemadmodum et sui Sponsi Divini Christi Domini. Neque enim modi omnes muniendæ ad cælum viæ indicantur jure divino; ideo enim pro varia temporum, rerumque ratione opportune constituendorum potestatem Christus Dominus dedit Ecclesiæ suæ, sive præsidibus ecclesiasticis secundum ordinem ab ipsomet institutum principatus sacri. Ergo potestas

Vescrippa Q.

ferendarum in ecclesia legum est juris divini; leges tamen sunt humanę, sunt hominum, qui illas tulerunt.

At leges, quibus profana politia est pro causa, et ratione, leges, inquam, istę sibi proponunt felicitatem societatis, sive felicitatem hominum, secundum statum civilem: ideo dicuntur leges civiles; obtinuitque etiam, ut leges absque alia adjectione nuncuparentur. Nascuntur illę a civili potestate suprema, quippe quę sola, et nemini paret, et sola imperat omnibus, qui parere debent. Supremam potestatem civilem recentiores harum rerum scriptores ajunt esse compositam ex voluntatibus singulorum civium, dum illi aut coiverunt, aut manent in societate. Sed quemadmodum dubitari nequit, quin singulares eę voluntates, ac vires influant in imperium civile, ita et alius imperii ejusdem, longeque dignior, uberiorque fons constitui potest in ipsa voluntate divina. Nam etsi Deus permisit homines initio eligere, quę magis placent, formam civilis regiminis, tum eorum, qui prefuturi erant, personas designare; vult tamen, quicumque imperant in quaque gente, eos posse, quidquid necessarium, aut utile est, gentibus ipsis, ~~[illegible]~~ principium cum sit ipse ordinis, et culmen bonitatis, non potest sane, quin velit

universas gentes ordine vivere, tum quietas eas, incolumes, beatasque esse.

Est ex varietate legum etiam varietas delictorum (§ 1°). Porro quę crimina oriuntur e violatione naturalium preceptorum, primorumque principiorum eorum, quę divinitus insculpta quisque servat intus in corde suo, ea sunt crimina ubique, atque semper. Sunt crimina ubique, quia ubique notę, et receptę leges illę violatę: sunt crimina semper, quia naturales eędem leges, cum in ęterna justi, honestique ratione consistant, sunt semper hę: ideoque malę semper sunt vicissim actiones illis contrarię.

Non sic in cęteris legibus. Nam quod attinet ad positivas ab eodem naturę auctore Deo, sed extrinsecus latas, haud certe contigit omnibus, id, quod summo Dei beneficio contigit nobis, ut leges eas crederemus divinas, summaque ideo, et perpetua veneratione, cultuque dignas: ergo facta aberrantia ab iis legibus non habent apud illarum inscios delicti vim, atque pęnam.

Multo major delictorum varietas per leges humanas, sive Ecclesiasticę illę sint, sive civiles. Non solum enim Ecclesiasticę leges non obligant eos, qui sunt extra Ecclesiam, civiles autem terminantur limitibus singularum nationum, atque regnorum; verum neque in Ecclesia ipsa, nec apud easdem civiles universitates politicę, hę ~~[illegible]~~ semper eędem,

sed cum fuerint ab hominibus latæ, possunt et ab hominibus tolli: et reapse tolluntur, aut permutantur identidem pro varia rerum conditione, atque temporum, ad quam debent accomodari.

Etiam pro diversitate regiminum diversa sunt genera crimina. Civilia regimina justa tria solent numerari: Monarchia, seu principatus unius; Aristocratia, seu principatus optimatum; Democratia, seu principatus populi. Ubique leges tuentur, tenerique debent, quæ publice constituta est, formam regiminis. Itaque in monarchia moliri ea, quæ sunt aristocratiæ, aut democratiæ, perinde crimini datur, quemadmodum si, quæ sunt monarchiæ, aut democratiæ, in aristocratia, et quæ sunt aristocratiæ, aut monarchiæ, in democratia quis molitur. Nempe materies, vel incomodum variat, at vis ubique eadem, quia ubique injustum, et publica scitorum civitatis statum temere oppugnari, atque concuti est.

Caput 3.m

De Natura delicti

§ 9.

De natura delicti generaliter

Universis societatibus, dum coiverunt, fuit sane, cur coirent, finis, aut scopus aliquis, cui consequendo, tendoque studendum

conjunctim forent. Hinc quemadmodum actionum rationes, quæ communi huic proposito inserviunt, sunt, et dicuntur officia (Officium est eam reddere, quod cuique debeas), ita actiones eæ vituperabiles, quæ obstant communi eidem proposito, atque bono, veniunt in genus delictorum: delinquunt enim hoc modo homines, ideo prætermittunt (§ 1.º in principio) obliviscuntur, deserunt propositum, bonumque sociale. Hinc facile est delicti naturam agnoscere in publico illo bono, quod singulæ societates sibi pro fine constituerunt, oppugnato, atque prodito.

Generalem delicti naturam solent alii indicare alio modo, dum delictum ipsum definiunt aberrationem a lege aliquid imperante, aut prohibente, Vinyk institutionum criminalium lib. 1.º tit. 1.º num. 2.º quod tamen videtur non satis accuratum. Neque enim omnia legum sive imperata, seu vetita efficiunt materiam delicti, quia non omnia afferunt pœnam, quæ veri delicti comes est, et indicium. In jubendo, vetandoque lex sæpe respectat tantummodo, ut ita publica res veniat tantum in perfectionem, sæpe aliter, quam comminatione pœnæ prospicit, ut, quæ constituit, ea custodiantur. Pœnæ, inquam, suppliciique acerbitatem reservat

in illa, quæ videntur concutere ipsum statum socialem; quæ minantur, intercipiunt, oppugnant societatis, quam ipsa regit, scopum, atque propositum; quæ nimirum habent veri delicti rationem; in quibus vi, studiisque omnibus enitendum est, ne malum exemplum hominum, qui deliquerint, permanet ad cæteros.

§ 10.

De natura delicti civilis

Ex his, quæ dicta sunt, sequitur, qui delicti in quaque societate cognoscere, quæ naturam, vimque delicti habeant, oportere inprimis eum explorare, quem societas quæque sibi finem elegerit. Sacra illa tam late patens, profanisque omnibus multo præstantior societas Ecclesia non in his terrenis, fluxis atque caducis, verum vult, studetque nos homines aliquando consistere æterna in cœlestium bonorum immensitate (§. 8. versiculo 1°). At nos non de impedimentis, quæ contumaces Ecclesiæ filii huic fini parant, non de ecclesiastico delicto, verumtamen de delicto civili instituimus hic potissimum quærere.

Civiles porro societates in eo consentiunt universæ, ut nulla alia de causa coiverint, maneantque in consortione, quam ut ita valeant consistere tuto, tranquille, et commode (§ 6.° § 8°. versiculo 1°. in principio). Ergo in quocumque cives praestari huic scopo adversantur, in eo et veram delicti civilis naturam agnosco, et justam puniendi necessitatem. Cicero de Officiis lib. 3°. cap. 1°. vers. hoc enim spectant leges. Enim vero in delinquendo etsi nunc oppugnatur ipsa civitatis status, nunc privati cives læduntur, utrobique tamen fit contra finem, propositumque sociale, quia societas nunquam erit secura, et quieta, ubicumque affligantur singuli, ex quibus illa componitur. Nihilominus quia delictorum generis alterum directe fertur in societatem, publicamque rem, alterum in privatam rem, hominesque privatos, ideo discriminis hujus causa placuit, illa appellare delicta publica, hæc delicta, injuriasque privatas.

§ 11.

Definitio Delicti

Definiendum nunc tandem delictum est, cum ex his, quæ fuerunt superius dicta, facile quisquis intelligit vim definitionis. Itaque delictum est

quæcumque vituperabiles actus, aut omissio, quam cujusque societatis leges ut adversam decernunt fini, propositoque sociali, et ideo pœna coercendam.

§ 12.

Ex actionibus interna, externaque delictum componitur.

Delictum nomen est reprehensionis, et vitii: consectatricem delicti pœnam patet haud convenire ad insontes Lege Sancimus 22. Cod. de pœnis: quare delictum minime habebimus, ubi nil reprehendendum in homine, pœnaque dignum habeamus. Jam vero corpus hominis nihilo secus, quam corpora alia, insons est cujuscumque moralis boni, atque mali, quod laudes, quod reprehendas. (§ 4. vers. 1. in principio). Ergo in animo, in illo videlicet moralium fonte, atque sede debet existere, si quid existit reprehendendum. Ergo animi reprehendenda actio, hoc est, actio interna nisi inprimis erit, nunquam erit delictum.

Haud tamen crimen oritur et illa una: necesse est consequatur actio etiam externa. Siquidem cogitatio mala, quamdiu restat in animo, res est occulta, et innoxia: quocirca cum societatem non lædat, non est delictum (§ 9., et 10.) Nec ideo tamquam delictum debet puniri; imo nec puniri

valet, cum delitescat. Quo spectat illud præpositum Tullio Lib. 3. de Officiis cap. 8. = Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu tenere res possunt, philosophi, quatenus intelligentia, et ratione =. Quod si foras prodierit, si innotuerit propositum sceleris, scelere non facto? Puniri quidem poterit, quoniam apparuit, cogitatio mala: nihilominus non erit punienda: affectione quippe [illegible] non erit punienda: affectione quippe [illegible], et non sola cogitatione læduntur homines.

Hinc Ulpianus in lege cogitationis 18. ff. de pœnis = Cogitationis (ait) pœnam nemo patitur =.

De crimine majestatis scriptum quidem est = Eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt = L. Quisquis 5. in principio Cod. ad Legem Juliam majestatis. Veruntamen agitur illic de eo, cui cogitare non fuit satis, sed præterea cogitatum impium exequi conatus est, quamvis incassum: Agitur inquam de illo, qui cum militibus, vel privatis, vel barbaris scelestam inierit factionem aut factionis ejus susceperit sacramentum, vel dederit =, sicut ad ista legis verba animadvertit opportune Glossa, cum Antonius Matheus de criminibus cap. 1. prolegomenorum § 5. et 6. Præter quam quod vel tantummodo manifestare ad